Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1867
Quelle:
Copyright:

nullo tempore defuiſſe, qui Sodalitii ſui gloriae plus quam ſtudioſi etiam alienos modo, quo poſſent, ſibi adſciſcerent. Ceterum Exemplar noſtrum *Pars* II. eſt Sermonum de Tempore. *Pars* III. Sermones de Sanctis habet.

Poſtrema 3. Folia nobis occupat *Planctus lamentabilis et deuotus beate marie magdalene ad chriſtum.* Nempe in Evangelium: *Maria ſtabat ad monumentum foris plorans* &c. *Omelia Origenis.* Initium: *De preſenti locuturus ſolempnitate auribus veſtre caritatis dilectiſſimi, amor in memoriam venit, quo beata maria magdalena dominum noſtrum ihesum chriſtum ſuper omnia diligendo* &c. Inter X. Homilias *in Diverſos*, quae in latinis *Origenis* Editionibus feruntur, poſtrema eſt. *Huetius* in *Append. L. III. Origenianor. n.* 5. Autorem latinum ſuſpicatur; nec falſus eſt, ita nihil *Origenis*, ne graecum quidem ſapit. Extrema nobis truncata ſunt.

DCCLXXVIII.

R. 2053 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Pagg. 278. 8. currente calamo exaratus, rubricisque diſtinctus varia complectitur, et hoc quidem ordine: I. *Incipit flos ſermonum per nouum Opus.* Parcum omnino membranae fuiſſe oportet Librarium, qui non contentus paginas implere Sermonibus, alios inſuper per tres paginarum margines circumduxit. Ita Sermo I. in medio incipit: *Prope eſt vt ueniat tempus eius. Hodie in ſancta eccleſia magnum celebratur feſtum* &c. Sermo vero I. in margine: *Cum appropinquaſſet ihesus ieruſalem* &c. *Iſtud in tres partes diuiditur. In prima parte dicitur quod dominus ieruſalem intrans* &c. Mox *fol.* 2. *Incipiunt Sermones Gwilhelmi* Verum cujus? Non *Peraldi*, ut docuit collatio. Fortaſſis *Aſflinghemienſis*, cujus *Trithemius n.* 528. meminit. Occupantur vero circa Dominicas et Feſta SS. per annum, et definunt in Sermonem *de Corpore Domini*, qui eſt LVII. *Opuſculum Thomae Aquin.* incipiens: *Immenſa divinae largitatis beneficia* &c. et in geminos *de S. Trinitate*, quorum priorem *Auguſtino* inſcripſit Librarius ordientem: *Omnis ſcriptura ueteris ac noui teſtamenti diuinitus inſpirata ſi catholice intelligitur* &c. quo exordio *Auguſtinum* uſum eſſe non reperio.

II. *pag.* 189. *Legenda ſancti ſeruacii.* Initium: *Erant in diebus illis iudeorum in partibus due ſorores ſanctiſſima Anna et Eſmeria. Anna ut notum eſt peperit virginem Mariam* &c. Ex *Eſmeria* natam *Eliſabeth* matrem *Johannis Bapt.* et *Eliud* fabulatur Noſter, *Eliud* vero habuiſſe filium *Emiu*, qui poſtquam migraſſet in *Armeniam*, e conjuge *Memelia* ſuſtulerit filium *Servatium.* E *Jucundi* Presb. *Actis* compilata eſt, ut videtur, haec *Legenda*, de quibus dixi *Vol.* I. P. 2. *col.* 2296.

III. *pag.* 194. *De ſancto Floriano.* Martyris hujus *Laureacenſis* ad *Anaſum* Vitam autore vetuſto